vocat Concilium: nec tenuit diù
præsentes, Superum qui numerus fuit.
Cœlo sidereo lata patet via
cui prælustre satis Lactea nomen est;
hac ad tecta Jovis tenditur optimi.
Dextris atq̀ sinistris sacra Numinum
Majorum celebrant atria januis
apertis: habitat plebs variis locis.
Ast à fronte potens Cœlicolum Chorus
sedes atq̀ penates posuit suos.
Omnino locus hic, dicere si licet,
est, quem Sidereum dico Palatium.
Ergò marmoreis quando recessibus
sederunt Superi, celsior is loco,
Sceptro more suo nixus eburneo,
magno cæsariem concutit impetu
Terram quo mare quo movit et Æthera.
Horrendisq; modis farier incipit.
Pro mundi miseris Imperiis eâ
Tempestate fui non magis anxius
cum centena pelo brachia quilibet
Titanum injiceret. Num licet efferus
Hostis prorsus, ab uno tamen id fuit
Bellum Corpore, pendebat origine
ex unâ: mihi nunc qua mare circuit
Perdendum est subitò Terrigenum genus,
Sanctè flumina quod juro per infera;